

EPISTOLA ATHANASII

## DE LIBRO CVI

TITVLVS, TRACTATVS DE AD-  
 ministracione Sacramentorum, & de cele-  
 bratione Missæ, &c. cum Præfatione & lu-  
 culenta commendatione magni cuius-  
 dam Cardinalis, Impresso Dilin-  
 gæ hoc ipso Anno

M. D. LIX.



I. Theſſal. II.

Mittet illis Deus efficaciam illuſionis, ut credant mendacio.

M. D. LIX.

ΕΠΙΣΤΟΛΑ ΑΤΗΝΑΪΣ

DE LIBRO EVI

TETVVS TRACTAVS DE AD

MINISTRATIONE SACRAMENTORVM & DE CELE

STIONE MILITAE & CVM PASTORIBVS & JU

COLICIS COMMUNICANTIBVS

DOMINI CAROLINI IMPERATORIS

GRACIOSISSIMO ANNO



M. D. LIX

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ ΔΕ ΤΩΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΩΝ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΗΝ ΚΑΤΑΝΟΜΗΝ

M. D. LIX

036056546

AD PRÆSTANTEM  
VIRVM D. PETRVM ANTO-  
nium Nassalle.

**N**VPER incidi in librũ, cui titulus, Tracta-  
tus de administratione Sacramentorum,  
& de celebratione Missæ, &c. Impressum Di-  
lingæ hoc ipso Anno M. D. LIX. cum Præfa-  
tione & luculenta cõmendatione magni cu-  
iuspiam Cardinalis. Etsi uerò deterreret me  
huiusmodi Titulus, multis nominibus, cõpa-  
raui tamen, ac nõ multò post legi deuorauiq;  
uniuersum, multa quidẽ cum molestia atq;  
nausea, Sed non pœnitet, duas potissimũ ob  
causas, alteram, quòd cum pleraq; omnia pu-  
tida & blasphema inuenissem, sensi interle-  
gendũ me aliquoties fuisse excitatũ ad agen-  
das, ex imo pectore, gratias æterno Patri D. N.  
Iesu Christi, qui me ex talibus paludibus, uerè  
stygij atq; fœcibus, in quibus ego quoq; ali-  
quando uersabar, extraxerit, pro sua ingenti  
misericordia, Alteram uerò, quod uidi mihi

oblatam esse occasionem, qua tibi, summo amico meo, possem tandem (ut spero) persuadere, tuos istos, præsertim primores, Papiſtas omnẽ pudorem atq; frontem proieciſſe, cum oſtendero eos in tanta undique erumpentis Euangelij luce, in hoc sæculo tam erudito, audere adhuc illas futiles nœnias, atque horribiles blaſphemias ex ſepulchris eruere, & libris editis oſtentare, quas in denſiſſimis tenebris, in magna temporum inſœlicitate, ſuperſtitioſiſſimi monachi & ſophiſtæ ſomniarât. Quid uerò potiſſimum illic uiderim ridiculũ, enorme, idolatricũ, blaſphemum, abominãdum, paucis dicam: quædam enim ſeligam tanquam ex ſentina refertiſſima, tu diligenter lege, & ora Dominum, ut tibi, qui, magno meo cum dolore, adhuc uerſaris in tenebris & umbra mortis, aperiat cordis oculos, quibus uideas quas fæces laudes, cũ iſtorum purpuratorum doct̃rinam laudas.

Cum negari non poſſit formam cõſecrationis, qua Miſſificantes utuntur, nõ eſſe con-  
formem

formam uerbis Euangelistarum, quibus postremam Christi Coenam & institutionem diuini illius Eucharistię Sacramenti describunt; Audi quid iste tuus statim initio libri: Petrus, inquit, fuit Romę, ubi Ecclesiam instituit, Ergo ea forma consecrationis, quę Romę atque alijs in locis cum Rom. Ecclesię consentientibus, est in usu, fuit ab ipsomet Petro instituta. Ergo debemus eam & nõ aliam sequi, tametsi nonnihil contraria sit uerbis Euangelistarum. An uerò Cardinalis hoc dixerit, uideamus. En tibi eiusmet uerba, Ecclesia, Romana, quę utitur hac forma, habuit eam, à beato Petro Apostolo, qui creditur eam docuisse sicut Christus eam protulit. Et licet Euangelistę non ponant eam sic formaliter, sicut dicitur in Missa, non est multum contrarium, quoniam ipsi nõ intendebant tradere formam consecrationis, sed solum narrare rem gestam. Primùm, quod ad Petrum, qui Romę fuerit, attinet, adhuc disputatur, adhuc sub Iudice lis est, num Romę fuerit, sed

demus fuisse, Missam tamen eum instituisse,  
nec Cardinalis, nec Papa, nec quispiam alius  
Sathan docere potest, fremant & torqueant  
se miseri homines, quantum uoluerint: Neq;  
enim ualet cōsequētia, cum dicunt: Petrus  
fuit Romæ, Ergo ipse fuit autor Missæ & for-  
mæ consecrationis, qua nunc utimur, imò  
nullo fortiore Argumēto possumus nos euin-  
cere, nec Missam neq; illam consecrationem  
fuisse à Petro institutam, quàm hoc, quod sci-  
licet uidemus eam formam esse contrariam  
uerbis Euangelistarum. Quis enim (nisi sit  
prestigijs Papalibus fascinatus) queat sibi per-  
suadere, Petrum uel Romæ uel alibi contra-  
rium quippiã docuisse ab eo, quod Euangeli-  
stæ à Spiritu sancto edocti, scripserint? Quod  
si dixerit Cardinalis istam formam nihil ha-  
bere contrarij. Respondebo, Vt conferat uer-  
ba consecrationis cum uerbis Euangelista-  
rum, ac statim deprehendet num reuera sint  
contraria, quanquam nihil nunc opus sit col-  
latione aut disputatione, cū habeamus reum  
confi-

confitentem: Ait enim quod modo recitauī,  
 Licet Euangelistæ non ponant eam sic for-  
 maliter, sicut dicitur in Missa. NON EST,  
 MULTVM CONTRARIVM. Est ergo,  
 aliqua cōtrarietas (quæ contradictionē nun-  
 quam excludit) ut ipsemet fatetur. Verū il-  
 lud quoq; quod subiungit, quàm est putidū  
 dum dicit, quòd Euangelistæ non intende-  
 bant tradere formam consecrationis, sed so-  
 lum narrare rem gestam. Sed dicat mihi sua  
 Reuerenda Paternitas, cur in narratione rei  
 gestæ prætermisissent formam à Christo tra-  
 ditam, si ullam tradidisset præter eam, quam  
 ipsi recitant? Hoc cum dicit, quòd Euangeli-  
 stæ talia præterierint, nihil aliud dicit, quàm  
 quòd diuinus spiritus negligens atq; mancus  
 fuerit in tradendis posteritati grauisimis ma-  
 ximeq; necessarijs rebus, à filio Dei institutis.  
 Aequè putidum & falsum est, quod illic sta-  
 tim additur, nempe Ecclesiam declarasse,  
 quòd forma consecrationis, quæ est in uestro  
 Canone, fuerit à Christo instituta, quam nul-

Ius Euangelistarū integram tradidit. Oblasphemiam singularem. Primūm quod dicat, Euangelistas audiuisse integram formā, sed non integram descripsisse. Deinde quod fingat litem fuisse de forma consecrationis inter Euangelistas & Petrum. Postremò, quod ea lis fuerit dirempta ab his, qui in Romana Ecclesia fuerunt. Sed quæro ab eo, qui nam fuerint hi Iudices? quo in loco iudicauerint? & quo tempore? imò quæro amplius, cur potius pro ea, quam dicunt fuisse sententiā Petri pronunciarint, qui de eo nihil scripsit, & an sine scripto docuerit incertissimum est, quàm pro Matthæo, pro Marco, pro Luca, qui acuratissimè scripserunt, imò cur potius pronunciarint pro Petro, qui (ut dixi) nihil de eare scripsit, quàm pro Paulo, qui summa diligentia de Cœna Domini literis mandauit ea ipsa, quæ ab ipsomet Domino acceperat. In summa, falsa sunt atq; ementita omnia, quæ hic tuus iste effutiuit (quod bona eius uenia dictū sit, quanquam siue ignoscat, siue



siue minus, nihil moror) cæduntq; in magnã contumeliam Euangelistarum, Petri, Pauli, atq; ipsius Dei, Christi, & Spiritus sancti. Et non est dubium, quin carnalis quispiam pharisaico spiritu conceperit eam consecrationis formam, ab Euangelistarũ uerbis dissentientem, (ut etiã reliqua quæ sunt in isto putido Canone) Cardinalem uerò, ne cogeretur fateri suam Romanam Ecclesiam hætenus usam fuisse, atq; uti etiamnum, in consecratione alijs uerbis, quàm à Christo institutis, malluisse Euangelistas negligentiæ aut perfidiæ inculcare, & tam multa mētiri: Sic enim solent isti, potius quàm discedant ab errore manifesto, quem interim fucò quodam pietatis conantur palliare, atq; igne & ferro defendere.

Video usq; hinc te torqueri, atq; iniquo animo ferre, quod paulo durius Cardinalem excipio. At sibi imputet, cum uoluerit talia uenena spargere, quibus incautos atq; infirmiores inficeret. An tibi æquũ uidetur Nas-

fale, ut eum talia conantem uideremus, neq;  
reclamaremus? quid respondissemus Deo, si  
tacuissemus? habuissemusq; aliquam rationē  
istius purpuræ atq; galeri? nullam uerò glo-  
riæ Dei & Christi? Quare, si quid audit quod  
nollet, sibi, inquam imputet, qui cum isto suo  
tam inepto tamq; uenenato libro, uoluit in  
frequentissimum totius Germaniæ ac penē  
Europę theatrum prodire, hoc est, in Comi-  
tia Augustana: modò enim fuit impressus.  
Hic spargitur magna sollicitudine & dono,  
magnatibus potissimum obtruditur.

Quàm sit falsum, putidū, atq; ~~in~~ <sup>in</sup>herme hoc  
initium Libri, cum sis acri ingenio, facile po-  
tes iudicare, nunc pergã ulterius. Quinq; aut  
sex folijs nulla alia de re agit, quàm de confi-  
gnationibus, de geniculationibus, atq; alijs  
gesticulationibus planè histrionicis, quibus  
ait oportere suum Sacrificulū esse longè in-  
structissimū, exempli gratia: Celebrans (in-  
quit) ascendit ad medium Altaris, coram eo  
stans capite inclinato, manibus iunctis super  
Alta-

Altare positis,posito pollice dextro super si-  
 nistrū, quæ ita super Altare ponuntur, quòd  
 digiti parui, duntaxat frontem, seu medium  
 anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris  
 tangant, residuo manuum inter Altare & se  
 retento, quod semper obseruatur, cū manus  
 iunctæ super Altare ponuntur. Heus Nassale  
 quid ais? quàm grauis tibi uidetur Cardina-  
 lis? hoc, hoc potissimū tempore, quo tam in  
 altum ascendit sol Euangelij? Quid fuisset fa-  
 cturus si ante eius exortum scripisset: & an-  
 tequā uidisset suam Missam tot doctissimo-  
 rum hominum libris, ac ueluti telis ualidissi-  
 mis acutissimisq; confossam ac debilitatam?  
 An non obstupescet? An non stomachabitur  
 quicumq; legerit habueritq; uel micam com-  
 munis sensus, etiam ex Papistis, atq; adeò ex  
 sacrificulis multi. Cardinalem scilicet iam se-  
 nescentem, quotidie iactantem se, quòd ue-  
 lit collapsam Papatum religionem omnino  
 restituere, atq; etiam ad Papatū uelis remisq;  
 (quanquā omnino frustra) aspirantem. Spar

fisse hoc tempore in Comitij's librum, in quo docet de pollice manus dextræ, de pollice sinistra, deq; paruis digitis, quomodo misificans debeat eos mouere, micare, atq; in altari collocare: O Deum immortalem, quanta est istorum uertigo atq; cœcitas, quanta impudentia atq; arrogantia:

Expectabis fortassis, ut pergam dicere de gesticulationibus. At non faciã, Rogas: Quia pudet, si Cardinalem non puduit, ac metuo ne uidear eo futillior, si in his blasphemis nugis amplius uersatus fuero, Satis sit quòd ueluti summo digito indicauerim, quærat illic plura, qui uoluerit ridere. Dicam hoc tamẽ, me in isto tractatu de gesticulationibus obseruasse grauisimum quiddam, quod Cardinalis docet, quòd scilicet Misificans pro defunctis neq; osculatur librum (ut aliàs solet) postquam Euangelium legit, neq; consignat ampulam aquæ (ut aliàs etiam solet) neq; finita Missa benedicit populo. Hæc sunt arcana, hæc sunt mysteria, quæ iactant se à Christo

sto atq; ab Apostolis non literis mandata, sed  
quasi permanus tradita, accepisse. Pro his dia-  
bolicis delirijs conseruandis quotidie fundūt  
sanguinem piorū, Sed tu Domine usq; quo?

Sequitur tractatus de horis Canonicis, æ-  
què putidus & blasphemus, ut alij quoq;. Ve-  
rum ex hoc unū duntaxat locum adducam,  
ut uideas quantus sit iste tuus in interpretan-  
dis scripturis. Cum ergo reddat rationē, cur  
Primæ (ut appellant) preces, cur tertiæ, cur  
sextæ, &c. dicantur, quærit cur dicantur ma-  
tutinæ. Et sic inquit: Tertia ratio est, quia  
in illa hora, uel quasi surrexit, & infernū spo-  
liauit, & uenturus est iudicare sæculum per  
ignem, prout multi dicunt, & habetur Matt.  
25. cap. Audistine antehac Nassale, Christum  
noctū uenturum ad iudicium: Disce ergo ex  
Cardinale, noctū uenturum, si forte non au-  
dijses antea. Nam uerum sit oportet, si ille  
affirmat, Quod uerò ad Matthæi locū atti-  
net, audi quomodo colligat, & quàm solidè  
probet, quòd de nocte uenturus sit Christus

ad iudicandū. Cum Christus doceret esse uigilandum, utens parabola de Virginibus, ait: Sponsum media nocte uenisse, & ingressum cum quinque prudentibus, exclusisse quinque fatuas uirgines. Hinc ergo Card. dicit probari posse, quòd de nocte Christus uenturus sit ad iudicium, atque ideo matutinas preces esse dicendas. Quod quàm graue sit atque solidum, quis non uidet?

Sequitur alius tractatus, cui titulus: Resolutiones dubiorum circa celebrationem Missæ occurrentium. Bone Deus, qualis hæc latrina: quàm usque ad summum referta: absit, ut contrectem, sed duntaxat quasdam quaestiones quæ illic tractantur, proferam in medium, ueluti specimen reliquarum.

» Vtrum Sacerdos mutus, uel loquela priuatus possit consecrare seu conficere hoc Sacramentum:

» Vtrum indifferenter in nocte & die liceat alicui celebrare: Solutio: Non licet regulariter, nisi in die, hoc enim Sacramentum ad tempus

pus gratiæ pertinet, quod per diem significatur. Vnde & Saluator dixit: Me oportet operari donec dies est. Annō egregiè tractat Scripturas?

Vtrum patienti fluxum sanguinis uel feminis liceat celebrare? Fluxus feminis.

Vtrū pollutus, pollutione, nocturna possit licitè celebrare? Pollutio nocturna.

Vtrum perpetrans peccatum luxuriæ, & statim post hoc confitens & pœnitens, possit licitè eodem die celebrare? ,,  
,,  
,,

Vtrum mulieri puerperæ, uel menstruū patienti, dari debet communio: Respondet: Melius esse supersedere usq; ad purificationem, propter reuerentiam Sacramenti. Menstruum.  
,,  
,,  
,,

Vtrū transglutiēs reliquias, quæ post comestionē in ore remanserunt, possit celebrare? ,,

Vtrum quis possit consecrare omnes panes qui uenduntur in foro, uel omnia uina quæ sunt in cellario, si uellet? ,,  
,,

Vtrum Sacerdos celebraturus specialibus, debeat indui uestibus? ,,

Vtrū necessariò requiratur, quòd tales ue- ,,

Femoralia,  
uel brachæ.

stes & indumenta, cæteraq; correquisita sint munda & nitida: Respondet: Vt illis qui maiorem curam adhibent, ut linteamina, uel (pudor est dicere) femoralia sua sint munda & nitida, quàm ea, super quibus locari & tractari debet sacratissimū & mundissimū corpus Iesu Christi.

Vtrum liceat alicui sine libro Missali celebrare: Respondet: Non licere, etiamsi omnia memoriter sciret, sed debet habere librum.

Quasi Christus loquitur de igne materiali. O ridiculū hominem.

Vtrum liceat sine igne, siue lumine candle celebrare: Sol. Non licet, In lege enim scriptum est: Ignis in Altari meo semper ardebit: quod in celebratione huius Sacramenti maximè obseruandum est, ubi ille immolatur, tractatur & sumitur, qui est candor lucis æternæ, & qui uenit ignem mittere in terram, &c.

Ne Laici intelligant uerba diaboli. ca mysteria.

Vtrum uerba Canonis debeant dici discretè, sicut & orationes in Missa, quæ secreta uocantur: Sol. Sic propter multas causas, quas non opus est recitare.

Vtrum



Vtrum statim post Missæ celebrationem sit comedendum uel bibendum? Respondet quod non, ut neq; expuendum.

Quid agendum si Sacerdos casualiter tangat hostiam cum naso, mento, barba, ueste, uel alio huiusmodi?

Quid agendum, si cum sumendum est Sacramentum, corpus Christi miraculose appareat sub specie carnis, uel pueri, uel aliqua alia non conuenienti humanæ refectioni?

Quasi uerū sit quod aliquando appareat.

Quid agendum si hostia consecrata comesta fuerit à mure, uel alio bruto animali?

Christus à muribus comeditur.

Vtrum sufficiat, quòd aqua fuerit admixta uino adhuc existenti in dolio? Sol. Non sufficit, quia commixtio illa Sacramentalis est, ideo fieri non debet, antequam mysteria inchoentur.

O mysteria

Quid agendum, si musca uel aranea, aut aliud huiusmodi ceciderit in sanguinē? Sol. Animal illud cautè debet capi, & diligenter lauari, & cõburi, & ablutio cū cineribus in sacrarium mitti. Et (si absq; horrore & periculo

Ne fugiat cū aliqua guttula, & cum Christo ipso.

sumi possit) sanguis sumatur more cōsuetō:

„ Quid agendum si sanguis effundatur per  
„ negligentiam, non ex toto, sed in parte, uel a-  
„ liquid stillauerit de Calice? Respondet, quòd  
„ Sacerdos, uel Minister, uel etiam Laicus (ne-  
„ cessitate cogente) debeat lambere uel sorbe-  
„ re, ne enormis irreuerentia fieret Sacramen-  
„ to, utputa quòd canis, uel aliud animal inci-  
Mingere. piat lambere, uel desuper mingere.

Quid hic dices, Petre Antoni Nassalle? ui-  
dentur ne tibi ista grauia & digna, quę in tan-  
ta luce Euangelij (quod sepe cogor repeterere)  
à tam magno Cardinale in frequentissimis  
Comitijs spargeretur? Audiisti hic multas de-  
littias, fluxum seminis, pollutionē nocturnā,  
menstruū, femoralia, & urinam quoq;: Sed  
quid si tibi adduxero aliqua adhuc putidio-  
ra? Audi igitur de uomitu, & de stercore quo-  
que. Quærit cur in Missa fiat thurificatio (sic  
enim loquitur) & ad hunc modum respon-  
det: Propter diabolicæ malignitatis repul-  
sam, ne scilicet ille malignus aliquid contra  
sa-

sacrificium uel celebrantem machinari uel  
 facere possit. Huiusmodi enim fumo omne  
 genus dæmoniorum extruditur. Audis Nas-  
 falle, omne genus dæmoniorum extrudi per  
 fumum thuris: Vnde hoc habet in sacris lite-  
 ris: dicat, saltē ut defendat cur isto fumo pro-  
 sequantur cadauera ad sepulchra: Nam sci-  
 mus eos dicere, quod ita faciant, ut abigant  
 dæmonia, ne in ipsa cadauera ingrediantur.  
 Sed illud magis est mirandum, quòd cum di-  
 cant suum panem azimū, uirtute uerborū  
 tacitè demurmuratorum mox conuerti &  
 transubstantiari in ipsissimū corpus, ipsissi-  
 ma membra, ossa, neruos, atq; intestina Iesu  
 Christi, & omninò desinat esse panis. Non  
 confidant ipsum Iesum Christum presentē,  
 cum toto corpore, tota anima, totaq; diuini-  
 tate posse expellere dæmones ab altari, sed  
 accurrant ad fumū thuris, qui eos inde pro-  
 ijciat, ne quid contra sacrificiū aut celebra-  
 tem, ut iste dicit, machinari possint.

Quisquis hic queat tuos istos defendere,

imò quis possit se continere, ut eos non pro-  
scindat sibilis, ut eos non abominetur: cum  
suffitui thuris attribuunt, in expellendis dæ-  
monijs, maiorem uim atq; efficaciam, quàm  
Christo præsentì cum toto eo ipso corpore,  
quod pependit in Cruce: Nam hoc ipsum  
aiunt, se elicere è cœlo in altare quinq; uer-  
bis demurmuratis, hoc ipsum dentibus man-  
ducare, & aliquando planè indigestum per  
secessum emittere. Miraris quid hoc sit, ac  
fortassis putas me loqui per quandam exage-  
rationem, cum dico, quòd isti affirmant per  
secessum aliquando emitti integrum Christi  
corpus. Sed simpliciter & propriè, non per  
exagerationè loquor, Audi enim audi, quid  
in hoc ipso libro tuus dicat.

Vomitus.

Quid agendum, si quis post sumptionem  
corporis Christi statim patiatu vomitum:  
” Solutio. Reuerenter recolligantur species  
” panis, si discerni possunt, & reponantur in sa-  
” crario, uel sumantur ab aliquo. Video te sto-  
” machari, cum audis mentionè de sorbendo  
alte-

alterius uomitu, & est quidem huiusmodi, quod merito possit mouere nauseam. sed mane: Nam ostendam Cardinalem imperasse de comedendo eo, quod quis etiam cacasset, (saluo honore) Audi eum loquentem.

Stercus.

Quid agendum, si quis post sumptionem »  
ex infirmitate statim emittat per secessum »  
quod sumpsit: Solutio. Recolligantur species, »  
& fiat sicut in casu præcedentis dubij. An nõ  
aperte dicit, ut quis comedat, ~~ut~~ Sacrificulus *quod*  
egrotans per secessum emisisset: cum scilicet  
contigit, quòd corpus Christi in stomacho  
non potuerit concoqui, sed integrũ exiisset:  
Proh pudor, quid putamus dicturos Thur-  
cas, & reliquos Christiani nominis hostes, cũ  
audierint istos docere, ut forbeantur huma-  
na stercore, ne illic degat eorum Deus, con-  
fectus ex pane azimo: Nihil quicquam fuit  
unquam lectum, dictum, uel excogitatũ fœ-  
dus, enormius, blasphemius. Proh Deũ im-  
mortalem, quanta, quanta est istorum perti-  
nacitas, atq; (ut dixi) impudentia, & quidem

in summa Euangelij luce. Hoc, inquam, hoc  
caput est. Dicam quod sentio. Puto eos hoc  
agere ex contemptu, atq; in contumeliam re  
nascentis Euangelij, Quasi uelint dicere: Vos  
Lutherani pergitis infectari nostrā Missam,  
nostrā consecrationē atq; transubstantiatio  
nem, At nos nec tantillū (quicquid clamaue  
ritis) discedemus unquā à nostris opinionibus,  
ut etiam nostrorū Sacrificulorum egro  
tantium uomitum atq; excrementa (si casus  
tulerit) uoranda putemus. Vorate quantum  
uolueritis, Reuerendissimi Domini, & ue  
ster hic Scriptor in primis, neq; enim dignus  
est alijs delicijs, cum primus omnium fuerit,  
qui nostro hoc sæculo istam tam male olen  
tem quæstionem unā cum tot alijs ineptijs  
& blasphemijs in lucem protulerit.

Tu uero Nassalle, agnosce tandem istorū  
putidissima deliria, agnosce inauditam per  
tinaciam & contemptum ueritatis, agnosce  
eos esse ex eo genere, de quo inquit Aposto  
lus: Mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut  
cre-

credant mendacio. Surge qui dormis, adiu-  
ge te tandem nostris Ecclesijs, quæ te ma-  
gna elegantia, morum & prudentia ho-  
minem habituræ sunt charissimum.

Augustæ, Idibus Maij, Anno

M. D. LIX.

FINIS.

TO  
The Honorable the Lords of the  
Council in Parliament assembled  
at Whitehall the 15th of  
April 1619

M. D. C. XIX

1619